

QK. 246.

Zb
5711

GEORGII FABRICII KEMNICENSIS
EPICEDION.

INOBITVM

SANCTISSIMI VIRI D. NICOLAI

Hausmanni ad Paulum Lindenau

Illustrissimo Saxonie Duci

Henricho à Concionibus.

Adiectis aliquod Epitaphijs.

CYGNEAE

PER VOLFGANGVM MEIERPECK.

Anno salutis nostrae.

1539.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

GEORGII FABRICII KEMNICEKENSIS
EPICEDION.

IN OBITVM SANCTISSIMI VIRID. NICOLAI
Hausmanni ad Paulum Lindenau Illustrissimo
Saxonie Duci Henricho
à Concionibus.

Usqueadeònc nihil totum stabile esse per orbem,

Sic Parcis avidas Paule fuisse manus ?

Qui fuerat sacri magnum decus ordinis, ille

Vt iaceat tenui puluis et vmbra solo ?

Quis mihi nunc fletus in funera præbeat? cheu

Ex omni iusta est parte querela mihi.

Si quisquam dulcem sine crimine luget amicum,

Qui nos officijs fecerat esse suum,

Filius in cineres si spargit thura parentis,

In tumulis & adhuc nomina grata colit,

Ereptum

2

Ereptum auditor si deflet iure magistrum,
Fata querens studijs esse inimica suis,
Haußmannum merito debemus plangere, quem nos
Dicere doctorem possumus atque patrem.
Nam qui iusta negant deberi manibus, et se
Communis credunt sortis habere nihil,
Agresti vincunt rigidos feritate Tomitas,
Corda que habent sæuis asperiora Getis.
Rursus qui nimis indulgent sæpe querelis,
Frena que dant lacrymis liberiora suis,
Ignorare mihi vel non sentire videntur,
Quod mens diuinis sit fruitura bouis.
Non ergo immodicos referant mea carmina questus,
Nam contra æternum quis ferat arma deum.

A 2

Nos inde

Nos inde trans actæ ploremus tempora vitæ,

Tam Sancti non sunt fata gemenda viri.

Ne tamen officij, ne mutua cesset amoris

Causa inexit numeris iusta querela meis.

Occidit Hausmannus, longo dignissimus ævo,

Immensus que Sacre religionis honor

Quo nemo melius, quo nemo fidelius vno,

Et maiore suum pavit amore gregem.

Hunc luxit tales effundens pectore voces,

Peplo vincta sacrum Theologia caput.

Heu cecidit per quem mea magna potentia facta est,

Heu cecidit nostri gloria magna chori.

Et duris illo est ereptus tempore fatis,

Quo decus illius fas nituisse fuit

Sed quia

Sed quia Christe tibi sic clementissime visam,

Iste dolor certam debet habere modum.

Præcipue cum qui fato moriatur eodem,

Felix cœlesti viuere sede queat.

Hunc luxit nitidam scandens quoq; tristior axem

Titan, et roseas tinxit ab imbre genas,

Cum que dies aliquod vultus texisset amœnos,

Lora que flammiferis palla dedisset equis,

Fraternos luctus soror est imitata, suam que

Abcondit terris deficiendo iubar.

Quas promet voces, Viteberga querelas,

Pro tanto lacrimas quas dabit illa viro?

Quos gemitus fundet mansueto corde Melancthon,

Quid volues animo magne Luthere tuo?

A 3

Hunc



Hunc veluti carum fratrem lugebit Ionas,

Et tanget iustus te Pomerane dolor,

Quam multis potuisset enim prodesse superstes?

Ni tibi visum esset maxime CHRISTE secus,

Si quisquam exemplo docuit vel moribus unquam,

Totius & vitæ simplicitate suæ,

Hausmannus numero digne celebrabitur isto,

Ac primum ex illis auferet ille decus.

Aspernatus enim magnos est semper honores,

Nec studijs animum dedit ille malis

Propter quas subeunt metuenda pericula multi,

Instabiles forti pectore spreuit opes

Non tumuit fastu non ambitione, nec ira

Concitus, officio defuit ille pio.

musdise

4

Inuidiæ stimulis non est agitatus iniquis,
Certabant Seythiæ candida corda niui
Omnis erat sceleris simul, atq; libidinis expers,
Et nihil in toto corpore fraudis erat,
Erga inopes miuine potuisset mitior esse
Rebus, & auxiliij strenuitate sui,
Nam nullos morbos, non pestes horruit vllas,
Vt quacunq; egros ille leuaret ope.
Deniq; sic Christum docuit, sic paut ouile,
Commisi que fuit tam pia cura gregis,
Vt clarum egregij Pastoris nomen haberet,
Et maiore tamen dignior esset adhuc.
Sunt, vt erant, ideo dicti quoq; Episcopi, vt illi
Custodes scirent se gregis esse sui.

A 4

Nec

die

Nec legisti alios olim tibi CHRISTE ministros,

Per quos imperium crevit in orbe tuum.

Nam quorum Pario nunc splendent marmore testæ,

Qui que tenent valida regia sceptræ manu,

Serica quos ornant, peregrino que orbe petite

Vestes, & rubri lucida fila croci,

Qui digitis aurum versant, virides que smaragdos,

Et calcant tumido linthea pista pede,

Illorum rabie furij que labascit ouile,

Ingentes que ruunt totius orbis opes,

Scilicet illorum caligant lumina somno,

Et multum cæce pectora noctis habent,

Ac mutis canibus similes, non edere possunt

Latratus, miserae cum laniantur oues.

Ignauis

5

Ignavi ventres, & inertia pondera terra
Vendentes populo somnia ficta rudi.
Terret Isaias hos tristi voce Propheta,
Ardua quamq; Dei vindicis ira canit.
Pestibus Hausmannus nunquam maculatus ab istis,
Synceri verbi præco fidelis erat
Isque annos plures hinc cum docuisset & illhinc,
Muneribus veri sanctus ubique patris,
Ut fructus etiam quos multis sepe tulisset
Ciuibus hos ferret tandem aliquando suis,
In patriam votis communibus ille vocatur,
Spargeret ut verbi semina CRISTE tui
Hic pri num quod erat fessus senio atque labore,
Impositum blanda voce recusat onus,

A S Sed

2
Sed Christi superavit amor, patrie que voluntas,

Quaeq; alios semper cura iuuare fuit,

Leticia quanta, quanto que exceptus honore

Ille sit, alterius carminis esset opus,

Solicitos animos suspensa que corda tenebat,

Nam notum cunctis nobile pectus erat,

Vt desiderijs igitur votis que suorum

Posset, et officio consulere ipse suo,

Incipit ad plebem diuinum fundere verbum,

Te que sui cepti ponere Christe basim,

Mox tam felici mundo valedicit in hora

(Quis putet hunc facilem non habuisse Deum?)

Namque in quo sancte versatus munere, ab ipso

Raptus ad aetherei est regna beata poli.

Non

6
Non si Polignos possem depromere cantus,
Vel si quid tellus Itala maius habet,
Cantarem gemitus, lacrimas, suspiria luctus,
Quos pastore suo turba cadente dedit.
Est locus Eoum penitus protensus ad axem,
Frena ubi luciferis Cynthia addit equis,
Arduus, vnde' ipsis cernas sublimior astris
Quidquid habet tellus, æquora quidquid habent.
Perpetuo spirat vernans ibi gramen odore,
Ac pictus vario flore nitescit ager.
Aeternum ver est, nec opacant aera nubes,
Et leni viridis rore fouetur humus.
Non furit iratus violentis flatibus eurus,
Nec placida à rapidis leditur aura notis.

Fons

Non

Fons quoq; pellucens medium qui dividit agrum,

Lactis, & Hyblaei flumina mellis habet,

Hinc iam ne Tareis Hausmannus duxerat undas,

Ambrosias q; pio carpserat ore dapes,

Non quales Phryx ille Iovi posuisse, vel Hebe

Fingitur, aut pede qui Claudus utroq; fuit,

Sed quales supera credentibus arce paravit,

Qui mare, qui terras, qui regit astra Deus

His haustis igitur, coelesti est sede receptus

Spiritus humane nil magis fecis habens.

Non igitur vanis lugendus planctibus ille,

Est cuius nobis indubitata salus.

Te manet is luctus Fribergum, te que dolores

Cui talem eripuit Parca maligna virum.

Nam

Nam quem nutrieras, cuius genus atq; parentis

Nunc quoq; habes, quorum nobilitate tumes,

Huic licuisse minus fatis, te Sacra docere,

Quoq; modo cali carpere detur iter?

Forsitan indignum tam claro heroe f. i. i.

Atque in te iusti Sæuijt ira Dei.

Pastores vt det tibi Sanctos atq; fideles,

Supplice voce Deus nempe rogandus erit.

Nempe rogandus erit, quo mentes det quoq; tales,

Grata vt pro magno reperiare bono.

Verum ne longo laxemus frena dolori,

Neue trahat nimias ista querela moras,

Hausmanno requiem bone Paule precabimur, atque

Fundemus grates supplice voce Deo.

Hæc

ma



Hæc quoq; vel non his habeat diuersa sepulchrum

Ipsius, artificii carmina ducta manu.

Hausmannus tumulo non totus clauditur isto,

Nec rapuit sanctum mors truculenta senem,

Nam corpus tegit hoc saxum, sed fama per orbem

Non meritura volat, spiritus astra tenet.

Epitaphia de eodem.

8
VALERI

VS CORDVS SIMESVSIVS.

intra 15.

HOC cubat Hausmannus, rarissima fama sepulchro,
Qui licet hac natus ciuis in Vrbe fuit.
Vsq; tamen migrans uicina per opida, CHRISTI
Et sibi commissas pavit & auxit oues
In senio ad patriam tandem reuocatus, vt illhic
Christicolam sancto pasceret ore gregem.
Paruit ille suis sacramq; ascendit in aedem,
Pastorem sequitur maxima turba suum.
Dumq; ita saluifici spargit pia semina i erbi,
Magnaq; dicentis pendet ab ore cohors
Continuo rapitur, res est miranda, docentis
Spiritus, & celsi fertur ad astra poli.
Sic uixit, nulli pietate secundus vt esset,
Hinc quoq; fama suis hostibus ille manet.
Vos autem quibus est pia mens, & vita superstes.
Hunc velut exemplar semper habete senem
Vt iudex summo descendens CHRISTVS olympo,
In simili inueniat vos statione sitos.
Propterea uigilate fugit nos hora diesq;
Qua citus incautos opprimet ille malos.

Hic sitm

infra 15.

GEORGIUS FABRICIUS.

Hic situs Hausmannus, quo uir nec sanctior alter,
Nec maior studijs vel pietate fuit.

Mors fuit haud impar vitæ, nec sanctius ille
Viuere nec potuit sanctius ille mori.

Nam dum CHRISTE tui spargebat semina verbi,
Dignam animam cælo mitis ad astra leuas.

infra 15.

ADAMVS SIBERVS.

Quo nec maior erat quisquam pietate fideq;
Nec rectis studijs iustitia que prior.

Cura salutiferum cui spargere maxima verbum,
Et bene commissas pascere semper oues,

Hoc tua conduntur pie membra Hausmanne sepulchro
Mens capit in vero gaudia vera deo.

FINIS.

M. Georgij Kovarij Epitaphium

In 3. Tomo
Composi Latino.

Ioan. Sigelij.

Vir grauis, atq; animi purg, patiensq; laborum
Scriba Vigil, mentis sancte Lutheræ tuæ,
Cui tua felici calamo dicata solebat
Colligere, et sanita spargere pura fide
Corporis hoc liquit Kovarius ossa sepulchro
Ipse alio viuae luns in orbe potens.
Sic dedit hinc inter vite finire labores
Redderet ut ocell gaudia vera d'pus.
Ergo ubi se Christo prebussq; fideiq; dirauit
Sopitus placida morte, qui stans obit
Vitalabor nos tra est, sed tandem redabit; illis
Vera q; est, Christ qui didicere mori.


Handwritten blue ink scribbles, possibly including the number 165711.

X 220 68 98

CYGNIEAE
T. V. OLFERDUM MERICK.
ANNO 1776

MC





QK. 246.

Zb
5711

GEORGII FABRICII KEMNICENSIS
EPICEDION.

INOBITVM

SANCTISSIMI VIRI D. NICOLAI
Hausmanni ad Paulum Lindenau
Illustrissimo Saxonie Duci
Henricho à Concionibus.

Adiectis aliquod Epitaphijs.

CYGNEAE

PER VOLFGANGVM MEIERPECK.
Anno salutis nostrae.
1539.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA